

etiam ex ipsis artubus, & sic potro, inimici vapores aut virulenta ac sum-
 mēnoxia aura in cerebrum assurgit, atque sublimatur: Hūc respiciens
 Helmontius appositē omninō asseruit, virus epilepticum præcipuē circa
 stomachum (vel partes corporis inferiores alias) elucescere, ac deinde
 maximē in cerebrō percipi. Exempla seu historias utriusque Epilepsia,
 five ea fiat affectō per essentiam cerebrō sive per consensum, quū ubi-
 vis sint obvia, recensere hūc super sedemus, atque sine diverticulis exa-
 men ipsius causæ materialis, cui paulō pōst etiam scrutinium efficientis
 subjicietur, nunc suscipimus. Autor igitur dum hūc accusat excremen-
 tum virulentum & inebriativum, non paucis peregrina valdē & exotica
 an monstrōsa ac scholis neutiquam usitata hæc loquendi ratio, quæ in-
 super obscuritatis non parum contineat, videbitur. Verūm ut ut ali-
 aut plerique circa phrasæos hujus cultum hæsitent, aut novitatis istius in-
 festissimos hostes sese enuncient, nihilominus Autoris solettia & lucu-
 lento huic æumini studium explanandi pro viribus nostris consecrabi-
 mus. Præsupponimus autem subjectum epilepsia principale esse ce-
 rebrum cum nervorum profapia, & subjectum adæquatum seu denomi-
 nationis totum existere corpus cum universo musculorum stemmate:
 Ubi etiam ad mentem nobis revocamus, omnem quidem epilepsiam in
 cerebrō ac totā ejus mole fieri, sed non semper materiam peccantem,
 unde epilepsia concitatur, inibi progigni, verum per distributionem et-
 iam aut transmissionem ut plurimum ex inferioribus hūc adpellere:
 Præsupponimus quoque alimentum corruptum seu impuritates in qua-
 cunque jam corporis parte aut climate eadem latitent, in promptu tunc
 subesse. Præsupponimus pariter eximiam putredinem & malignum
 seu virulentum fermentum, unde vapores ac fuligines à naturā hominis
 totā substantiā alienæ confertim exhalant atque ubertissimē promanant:
 Quibus sic præsuppositis omnibus ac singulis, tandem ad fermentationis
 ingenium seu naturam, vel potiūs ad ejusdem effectum incredulos tradu-
 cimus, quem sine omni difficultate alma Chymia pronis ulnis porrigere
 statim valebit. Quomodo nimirum per fermentationem, v.g. ex succis
 vegetabilium spiritus flagrantissimos elicere & præparare queamus, tam
 notum esse opinamur, ut nullā ulteriori dilucidatione id negotii indi-
 geat. Ecquis ergo qui vel tantillum aceti in pectore habet, consimile
 quid in corpore nostro per magnam aliquam excrementitorum humo-
 rum seu impuratum putredinem, quæ nihil est aliud, quàm maligna &
 suspectissima * fermentatio, sine quā nulla corruptio fieri potest, contin-
 gere

Epileptica
 materia
 utpl. circa
 stomachum
 stabulatur.

Excremen-
 tum viru-
 lentum &
 inebriativū
 Epilepsia
 efficiēti quid

Epilepsia
 πῆρωρον
 πῆρωρον est
 cerebrū, ad-
 æquatum
 autem sub-
 jectum est
 totum cor-
 pus.

Epilepsia
 semper præ-
 supponit a-
 limentum
 corruptum
 seu impuri-
 tates, ut
 eximiam pu-
 tredinē &
 malignum
 fermentū.

Fermentati-
 onis bene-
 ficio optimi
 & flagran-
 tissimi spi-
 ritus præpa-
 rantur ex
 vegetabili-
 bus.

[Y]

* Fermentationis in producenda epilepsia summa potestas.

Fuligines
seu va-
pores Gale-
nicorū quo-
modo nomi-
nentur ab
Hermeticis
& quid ve-
rè sint.
Excremen-
tum viru-
lentum &
inebriati-
vum Epile-
psiam effi-
ciens quid
Sensus no-
stri unde
sapius tor-
pidi, obtusi
ac turbulenti
esse soleant,
Ebrietas
unde.
Motus de-
pravatus
in epilepsia
unde.

Ebrii ad i-
ram sunt
prorissimi.

gere posse, perperam negabit, & rei manifestissimæ tam impudenter contradicet? Ideoque indubitatum est, per virulentam fermentationem & insignem putredinem excrementitias superfluitates ita disponi, ut postmodum spiritus excrementitii, nidorosi, & pariter virulenti hinc confertim prodeant exspirenturque, quos vulgari sermone gymnasia Galenica vapores aut fuligines adpellare solent. Hòc ita stante, quemadmodum saniores etiam omnes centrum hujus doctrinæ evidenter statim conspiciunt ac contemplantur, dictu & exposito haud difficile erit, cur Autor causam epilepsia materialè vocet excrementum virulentum & inebriativum, & Helmontius quodammodo juxtim furiosum soporiferumque: Videlicet ut omnis spiritus X vel quivis alius ardens si intemperantiùs ingurgitetur, temulentiam ac turbulentiam accersere solet, ita & consimili ratione spiritus isti excrementitii nimis copiosi exfermentatis impuritatibus oriundi mentem & sensus inebriare & obruere poterunt, ut sic inebriandi hæc ratio protinùs sit in apriço: Unde vel obiter etiam causa cognosci poterit, cur sæpiusculè sine evidenti causa mens & sensus nostri ad eò torpidi, obtusi, ac turbulenti esse soleant, ut videamur nobis jejunò stomacho quasi ebrietate quadam præpediti. Nempè quod Dogmatici vaporibus & fuliginibus adscribunt, nos rectiùs hujusmodi spiritibus, qui ab excrementis fermentatis prodeunt, spiritus nostros catervatim obruentibus ac veluti inebriantibus adsignamus; Sunt enim illi vapores aut fuligines reverà spirituosa seu Δ rea, & proinde aliud, quàm spiritus excrementitii inebriativi, aut facultatem oppidò inebriandi habentes. Et hùc usque res benè se habet. Sed unde inordinatus illè & depravatus motus in Epilepsia? Respondemus primò prænuncupatam comparisonem ab ebrietate desumptam continuando, quod spiritus animales & vitales ab elevatis hujusmodi spiritibus vel Δ re excrementitiis itidem incallescere, ac propterea impetuosè reddi possint, sicuti homines vinò immoderatiùs epotò fervidiores & ad iram pronissimi evadere solent. Atque ut ebrii proinde facilimò negotiò irà accenduntur, & impetuosè postmodum exorbitant; sic & Archeus (vel, si cum Dogmaticis loqui amemus, facultas expultrix) ab insultu spirituum seu effluviòrum excrementitiorum furorem concipere, ac propterea miram motus depravationem seu convulsionem impetuosè sic agitatus præstare solet; atque id ipsum eò magis, si spiritus illi sint magni, & ab excrementò virulentò fuerint emissi ac progeniti, quibus postea quomòdum venenatis rebus omnibus cum furore Archeus resistere, atque ab iisdem se liberare, eosdemque cum summà violentià propellere.

xyfino epileptico dicta mineta gravissimè fermentans & effervescens ab Archeo seu calide nativo fortiter reluctante, & in illam cum violentiâ agente, spirituosus effluvis seu exhalationibus suis ita tandem privatur seu exhauritur, ut veluti mortua, exanimis & cadaveroiâ sic relinquatur.) à Naturâ solâ penitùs eliminari & propulsari non possint, fit ut ob commissum in diatâ vel aliâ re errorem, aut propter obviam fortè venientes cruditates & impuritates noviter collectas facili negotiò maligna & violentiosa hæc fermentatio virulenti characteris fuligines sursum exhalans reerudescat; sicuti reverà etiam excocti hujuscemodi materiæ peccantis cineres vim magneticam quasvis superfluitates potenter cupidèq; attrahendi, adeoque denuò se animandi pristinatq; ferociam sic adsciscendi obtinent, veluti Philosophiæ Alumnis hoc novissimum est, quodvis ☉ v. g. Oli, ex quò per fortissimam & Δe aperto celebratam Qlationem omnes spiritus jam evocati sunt, si libero Ζ; per aliquor menses exponatur illud, ita denuò animari & imprægnari posse, ut postmodum longè generosiores, efficaciores, ac vehementiores spiritus exinde per iteratam Qlationem quàm primitiùs factam elici queant. O magnam & stupendam influentiarum vim atq; energiam! Hæc basi ex lumine Naturæ jactâ ratio etiam evidentissimè comparat, cur epileptici paroxysmi temporis progressu magis magisq; ingravescere, & indes evadere atrociores soleant: Nempè spirituosâ illa virulenti excrementi miasmata quoties renovantur, toties etiam violentiora & magis hostilia evadunt. Si itaq; ut ad scopum redeamus, ☿ mineræ epilepticæ citiùs novis impuritatibus aut hinc provenientes influentiis animetur, & ad suscipiendam fermentationem malignorumq; spirituum emissionem rursus idoneum efficiatur, citius etiam redire paroxysmus epilepticus solet, sin tardè id fiat, tardior etiam Epilepsiæ insultus imminet, & sic porrò. Hæc omnia si accuratâ judicii lance perpendantur, si que iis jungantur, quæ paulò antè circa scenam epilepticæ convulsionis philosophati sumus, dilucidissimum sanè & opulentum hujus negotii sensum subministrabunt, ita ut quidditas & essentia Epilepsiæ hinc nulli non perspectissima aut cognitu facilima esse queat.

Ad §. 7.

Quùm igitur circa novos ac denuò redeuntes Epilepsiæ paroxysmos res ita sese habeat, quod ratio eorum consistat in redintegratione fermentationis hujusmodi virulentæ, de quâ paulò ante ex fundamento jam semel dixisse sufficiat. Medicorum quivis statim argumentari poterit, quòd ipsi omnis utique lapis sit movendus, quò propediem radix & materia.

Materia
mortifica-
ta in corpo-
re nisi ritè
expurgatur
facile no-
vè fermenti-
tū contrahit.

Capita
mortua
quomodo
denuò ani-
mari pos-
sint.

Influentia-
rum vis atq;
energia.

Epileptici
paroxysmi
cur temporè
progressiva
ingrave-
scant. & in-
des evade-
re atrocio-
res soleant.

Epilepsia
cura vera
unde pen-
detur.

rix illa magnetica mali epileptici seu virulenta hæc minera in horas incrementa capessere nata penitus penitusque averruncari, & ex vitali dominio funditus proscribi possit; alioquin nisi hoc cum virtuosa quadam violentia, de qua paulò post agetur, fiat, epilepsiam radicitus curare, ejusque paroxysmos procul arcere omninò impossibile erit.

Ad §. 8.

*Causarum
morbifica-
rum vera
cognitio
multū pra-
stat ad felici-
ter curā-
dos morbos.
Incurabiles
multi mor-
bi falso di-
cuntur, &
cur.*

*Occulta
qualitates
male asse-
runtur à
Medicis.
Epilepsia
an affectus
incurabilis
sit.*

*Epilepsia
curatur in-
terdum à
solis magnis
mutationi-
bus.*

*Emetici pro
Regibus ac
Principibus
insignes
laudes.*

Scopus feliciter curandi nullatenus impetrari, aut remedia specifica excogitari vel inveniri possunt, nisi vera morbi causa ejusque essentia penitus habeatur & exactè perspecta. Atque hæc illa est ratio, cur tot morbi à quam plurimorum inscitia & ignavia ad insanabilem classem referantur, quod accurata causarum indagatio tam perperam negligatur, & ex medicis ad sublimiora vel minus obvia perveniendi desperatione ad asylum istud ignorantiae seu occultas qualitates protinus confugiatur. Quibus igitur has qualitates seu causas morborum occultas tueri arridet, illis profectò vera; genuina, & adpropria remedia seu Medicamenta postmodum pariter occulta, abscondita, & penitus incognita esse necessario debent: De ignotis enim & Medicus quoque judicare, aut ex sententia circa eadem occupatus esse planissime nequit; Quam ipsam ferò verum intima pervestigandi insanem pigritiam plùs quam Vatiniano prosequitur odio Helmontius. Haud cordatè propterea faciunt illi, qui Epilepsiam ad affectus desperatos atque incurabiles (nisi magnis & acutissimis morbis epilepticæ convulsiones fortè supervenerint; tunc enim vel nostro etiam judicio omnis spes plerumque occisissima existit.) recensendos ducunt, id quod vel olim Hipp. aphor. 45. sect. 2. innuit, dum beneficiò magnarum mutationum, quales per ætatem, loca, & victum contingere solent, Epilepticos liberari posse docuit. Hanc sanè sententiam si acutò mentis oculò inspiciamus, & Naturæ admiranda opera imitari non pigeat, in promptu ubique habebimus satis conspicuam normam & iter eandem metam arte & ingenio pariliter consequendi. Ideoque Medicus recordetur ac meditetur sedulò, quò consimiliter magnas hujusmodi mutationes beneficiò efficacium Medicamentorum tunc moliri, & in corpora epilepticorum easdem, deficiente nimirum Naturâ, inducere possit; quapropter etiam sequenti §. 0 tale medicamen seu emeticum ad impetrandam hanc Epilepsiae ex votò medendi intentionem nobis proposuit Autor, quod in dictò quasi classico materiam hostilem ex intimis corporis etiam nostri antris potenter provocandi, & Archeum nostrum, quò hanc eò robustius expugnare vel exturbare valeat, oppidò armandi, adco-

tio miscendi non tam juxta pondus, quam gustus censuram potius, donec mixtura gratum ac tolerabilem acorem impetraverit, instituat, suaderemus; siquidem in rei veritate unus spiritus seu $\text{R} \text{D}$ aliò majorem vel minorem sive magis robustam aut debiliorem ac redinis ac corrosioni vim habere soleat, ut hòc respectu ob varietatem istam in pondere facilis contingere error queat. Quò etiam ranulæ hoc malum præ reliquis ætatibus præcipuè infantibus sit familiare, hi verò ad præstandam gargarisationem seu collutionem oris vel ad tolerandam gargarismi hujus per siphunculum immisionem, quæ sine impetu quodam celebrari non potest, evidenter inepti existant, rectius in formâ linimenti hoc præsidium adhibetur ita, ut $\text{R} \text{D}$ cum melle rosat, decenter commisceatur: Quod medicamentum quò reliquis prævaleat cunctis, alia consultò præterimus. Cætera quæ hic adjecit Autor, jam suò stantialò.

Ad §. 5. & 6.

Laryngi versus uvulæ latera & juxta isthmum seu fauces geminas ad stare glandulas, quæ à figura tonsillæ (quod tonsas seu palos referre videantur) vel amygdalæ, vel à situ paristhmia dicuntur, ex Anatomicis abundè constat, quarum intumescencia ac inflammatione nihil fermè frequentius esse Chirurghi norunt. Causæ indago est facilis: Quò enim glandularum usus ac natura sit, ut superfluas humiditates (ubi nequaquam defluentia à cerebro excrementa ob viam manifestissimam excludere cum pace tamen Autoris licebit) imbibant atque absorbeant, error in excessu promptè hinc suboriri, & glandulæ illæ intumescere, aut si corruptiva fermentatio confertim attractæ humiditatis accedat, inflammari vel etiam ulcerari possunt. Medium cognoscendi tumefactas amygdalas vitus pariter & tactus sub maxillâ ministrat: Intus etiam confirmationis argumentum deprehenditur, dum velut frustulum quoddam faucibus inhærescens conspici tunc solet, quod mole suâ valdoperè premit, & obstaculi molestiam non levidensem affert, quò minus transire edulia ac potulenta, item ipsa etiam saliva humectationis assiduæ benignitatem exhibens, valeant. Ut autem tonsillarum tumor simplex humiditatem excrementitiam frigidam tanquàm materiam causam accusat, ita si inflammationis totalitio is insimul stipetur, effervescentem mordacemque humorum acrimoniam quasi digito monstrat, imò si ingravescat cum inflammatione tumor, symptomata non tantùm gravissima cum summa anhelandi difficultate, verùm etiam exulceratio istius tumoris magnam pariens graveolentiam, exinde oboriuntur: Unde

[Oo 2]

non

non rarò ob imminentem strangulationem, si materia corrupta & purulenta per asperam arteriam in pectus ac vitæ antrum penetret, hujuscemodi patientes vitæ periculum incurrunt. Utut autem circa curandi scopum magnus gargarismorum & topicorum catalogus à Practicis Chirurgis que operosò studio recenseatur, bonâ attamen fide asserimus, Platâ ista & paulo antè laudatâ ∇ â plus nos proficere posse, quàm reliquis formulis cunctis: Ubi notabile est, quod hac una fidelia, ut in proverbio est, duo dealbari parietes adpositissimè queant; adeò namque tam frigido quàm calido tonsillarum tumori ex voto satisfacere potest, ut ita non immeritò in hoc unico Se minerali seu Q'ò tertiam Medicinæ partem ac integram propemodum officinam latitare perhibuerit cum Paracelso Quercetanus. Si itaq; tonsillarum inflammatio affligat, tunc S, Q'li ob nobilem, quam habet, præcipitandi efficaciam, humorum acrimoniam desubitò contemperat; fervorem mitigat, dolorem lenit, putrilagini masculè resistit, symptomatum ferociam compefcit, & ab omni immunditie aut squalore locum affectum vindicat. Sin verò à frigidis excrementis ortus tumor tonsillas saltim molestat, tunc eas laudatum ∞ Vitrioli confortat, & incidendo attenuandoque intumescenciam egregie tollit, vel balsamicò & resolutò Se suo, quo spiritus aut ∞ Vitrioli opulenter est imprægnatum, Archeum seu spiritum his locis ingenitum corroborat, quò hostem hunc eò citiùs edomare postmodum valeat: Eadem enim ratione balsamicâ hac aciditate suâ ut ventriculùm confortat & appetentiam concitat, alias quoque partes reficere poterit, ut appetitus (sic loqui liceat) seu fermentum nativum in iis renovetur, quo privatam seu specificam alimenti sui coctionem ac digestionem (quam cujuslibet partis nutritio adpetit ac desiderat) nec non convenientem dispensationem assimilationemque ritè peragere, & purum ab impuro decenter segregare excrementumque suum excernere præstent. Et hoc est, quod dicto Helmontii alioquin obscurissimo lucem evidentioris intellectus confestim conciliat, dum dicit, tot esse in corpore nostro stomachos ac fermenta, quot ejusdem partes & harum speciales digestiones ac nutritiones, adeoque sub tropicâ & singulari hac locutione magnum in morbis feliciter cognoscendis ac medendis delitescit mystetium, ut paulò jam antè id delineavimus, & quilibet pathologiam hanc ingeniosè seu cum acumine judicii ulterius ponderans perspicere id poterit.

Ad §. 7. & 8.

Anatomia nos docet, epiglottidi ab extremo palato pendulum immingere corpus fungosâ & rubicundâ carne productum, quod gargareonis, columel-

columellæ, aut uvulæ titulò Autores insigniunt, & ad faciliorem alimentii descensum vocisque lenitatem, nec non inspirati aëris ad pectus tanquam vitalis auræ sanctuarium aliquam præparationem conducere didicunt. Affectus hujus particulæ præcipui sunt laxatio & inflammatio, sic innuente hoc etiam Autore nostro. Illa ut molestissima est (obtitillationem, quam qui patiuntur, uvulam sic relaxaram perpetim deglutire incassum nituntur, per timefuntque, ne impetum ejus suffocatio consequatur) & quotidiana, ita quælibet etiam anicula in hoc casu auxiliares pollicetur manus, & nimis elongatam columellam medicina domestica contrahere statim satagit. Quùm autem hæc molestia proveniat ab excrementitiâ humiditate nimia, quæ hic decumbit, exsiccandi quoque studium methodo medendi satisfacere omninò poterit. Prodesse ovum ad duritiem coctum, ac per medium discissum vel etiam fermentum vertici per aliquot horarum spatium impositum, triviale est. Sed placent nobis ea, quæ ab Autore hic commendata cernimus, cum primis autem gargarismus D . latus, summam adstringendi virtutem habens, præsentissimam opem hîc afferre poterit. Inflammatio uvulæ eandem theoriam ac curandi solertiam admittit, quam consillæ sic affectæ poscunt: Ubi gargarismo illi ab Autore peculiariter hîc consignato calculum nostrum non addere non possumus, quod præter jam adductas rationes Camphora putredini efficaciter resistat, & refrigerandi aut inflammationes extinguendi exoptatum robur obtineat. V. S. observatis cautelis, quas hinc inde sparsimus, nostro etiam consensu tunc locum habere poterit.

Ad §. 9.

Famosa illa & periculosissima faucium ac gutturis vel rectiùs muscutorum his partibus servientium inflammatio Angina dicitur, Græcis $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\chi\eta$ vel etiam $\lambda\upsilon\upsilon\alpha\gamma\chi\eta$, quod canes & lupos frequenter afficiat, vel quod adeò gravis & acuta soleat esse illa inflammatio & linguæ fauciumque intumescencia, ut ægri linguam instar canum ac luporum defatigatores tunc exserere cogantur; item $\sigma\upsilon\upsilon\alpha\gamma\chi\eta$, à similitudine suspendii, quod non secus ac laqueus præfocans enecet: $\Lambda\gamma\chi\iota\upsilon\eta$ enim laqueus est; vel à $\sigma\upsilon\upsilon\epsilon\chi\epsilon\upsilon$, quod respirationem inhibeat spiritum continendo. Latini anginam ab angere vel angorem infero deductam volunt, & sic appositè alludunt, præsertim quod $\tau\acute{o}$ angere idem ac strangulare, suffocare, seu fauces adstringere significet; Illis enim, qui anxietatem percipiunt, quasi præcordia constringi, ac respirationis beneficium intercludi videntur. Autoris philologia suam etiam non invidemus honorem, dum anginam ab augendo derivat,

vat, quòd ea morbum in auctâ magnitudine seu tumorem faucium concomitantem habeat. Non immeritò autem affectus iste inter periculosissimos, summè malignos, truculentos, feroces, magnos & acutissimos à Medicorum coronâ reponitur, quod respirationem potenter intercludere, ac subitò (inter primum enim & quartum diem plerumque hæc ægritudo perimere solet, teste Avicenna) sic interficere possit: Calorem enim innatus oppressulatâ hâc respirandi portâ ventilationis libertate orbarus marcescit, perit, extinguitur: ac proinde ab aliis malum vocitatur præfocativum. Non tantùm autem ab anginâ febris acutissima est inseparabilis, quoniam illius essentia in inflammatione vehementissima consistit, verùm plerumque etiam crudelis malignitas, ob gravissimam & foetentem arsenicalique hoc est summâ ac pestilenti virulentâ contaminatam humorum corruptionem ac putredinem juxtâ adesse solet, unde postmodum tanta symptomatum atrocitas morbum hunc comitari, imò & exanthemata anthracibus & carbunculis similita internas faucium partes æscharoticas aut crustosas reddere ac velut exurere experimur: Imò nullum quoque est dubium, quin excellens illa faucium putredo sit insimul animata, & venenatissimis vermiculis abundè scateat, ut subitanea vitæ extinctio, quòd locus affectus vitalibus locis sit proximè vicinus, proptereâ sit in promptu. Ergo sequestratâ omni morâ commodè remedendi promptitudo quantum possibile acceleranda, ne post festum, quod dicitur auxilia adhibeantur: Si enim in ullo, certè in pessimo ac summè hostili anginæ morbo, qui carnisficis adinstar velut resti fauces constringendo citissimè strangulat, occasio opportunè celeriterque arrepta feliciter medendi anima vocari meretur.

Ad § 10.

Venæsectionem eâ conditione tunc admittere possumus, si videlicet in principio statim, quando anginæ insultus tantùm pertimescitur, & antequam ad incrementum suum perveniat malignitas, moresque ferocientes induat; sed si malum & hoc comitantia funesta symptomata vires suas jam exerere cœperint, tunc nulla ratione hoc præsidium & hanc sanguinis rapinam convenire asserimus. Eadem sententia circa purgantium quoque in hoc casu usum esto, cujus rationes hinc inde ex superioribus repetantur. Unde in admirationem nos trahit illa Autoris anginam curandi methodus, qui alioquin in omnibus & singulis sagacissimum pariter ac circumspèctum se exhibere solet: Verùm seduxit eum fortassis trita Gallicorum consuetudo, qui nullum omnino morbum; quiscunque etiam
is sit,